

turbinis iræ Dei, sive alii turbinis sui, eodem res redit: turbo enim Israelis non est alius quam turbo iræ Dei, quem scilicet et ira Dei indidit et impressit, ut eum auferat in Assyriam; sicuti vis jacientis lapidem, et vis jacti lapidis, eadem est. Jaciens enim vim suam lapidi jacto imprimat, ut eum projiciat: quo vult; vis ergo hæc tam est hominis jacientis, quasi efficientis, quam lapidis jacti, quasi recipientis et patientis. Denique hebreum *ota*, id est eam, aliqui referunt ad ignominiam, *q. d.* Turbo iræ Dei ligavit ignominiam

in alis Israelis, ut illam excutere nequeat; unde subdit: « Confundetur a sacrificiis suis, » id est ob sacrificia quas idolis obtulerunt.

Tropologie, discite hic peccata creare turbinem qui peccatores ignominiose dispergat, et tandem deturbet in tartara. Quocirca Zacharias, cap. v, 7, vidit mulierem, cui nomen erat impletus, amphore insidentem, a duabus mulieribus habentibus alas milvi, et spiritum in alis, rapti in Babylonem, quæ est symbolum gehennæ. Vide quæ de fimbriis et vinculis peccatorum dixi *Isai*, v, 18.

## CAPUT QUINTUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Vocat Deus ad iudicium sacerdotes et primores, eosque accusat quod laqueus fuerint populo, eumque suis idolis et sceleribus implicaverint:* Quia spiritus, inquit, fornicationum in medio eorum. Hinc eis cum populo, et cum Juda, quia Israelis scelus secutus est, hostile excidium intentat, dicens vers. 5: Respondetis arrogantia Israel in facie ejus; ruet etiam Judas cum eis. Denique, vers. 12, ait se eos quasi tineam et cariem corrosurum, ac vers. 14, quasi locustam discerpurum (1).

1. Audite hoc, sacerdotes, et attendite domus Israel, et domus regis auscultata: quia vobis iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor. 2. Et victimas declinastis in profundum: et ego eruditor omnium eorum. 3. Ego scio Ephraim, et Israel non est absconditus a me: quia nunc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel. 4. Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum; quia spiritus fornicationum in medio eorum, et Dominum non cognoverunt. 5. Et respondebit arrogantia Israel in facie ejus: et Israel et Ephraim ruent in iniquitate sua, ruet etiam Judas cum eis. 6. In gregibus suis et in armentis suis vadent ad querendum Dominum, et non invenient: ablati est ab eis. 7. In Dominum prevaricati sunt, quia filios alienos genuerunt: nunc devorabit eos mensis cum partibus suis. 8. Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama: ululate in Bethaven, post tergum tuum Benjamin. 9. Ephraim in desolatione erit in die correptionis: in tribubus Israel ostendi fidem. 10. Facti sunt principes Juda quasi assumentes terminum: super eos effundam quasi aquam iram meam. 11. Calumniam patiens est Ephraim, fractus iudicio: quoniam cepit abire post sordes. 12. Et ego quasi tinea Ephraim, et quasi putredo domui Juda. 13. Et vidit Ephraim languorem suum, et Juda vitium suum: et abiit Ephraim ad Assur, et misit ad regem ultorem: et ipse non poterit sanare

(1) Hoc caput ita in decem tribus tonat ac fulminat, ut, tamen interduo dicit, Judam et Benjamin, respiciat, admonetque, ne, si idem infartum declinare velint, illarum mores aut studia sequantur.

Primo ergo reprehendit sacerdotes et principes, primo, ex scandalo aliis dato, 1; secundo, ex hypocrisis religionis Deum hand latente, 2, 3; tertio, ex obstinatione in malo, vers. 4.

Secundo, iudici penas utrique regno communitate communis sunt, primo, confusio depressionis arrogantiam secutura, 5; secundo, derelictio a Deo in vanum quæsitio, 6; tertio, filiorum corruptio et exterminium repentinum, 7.

Tertio, hypotyposi eleganti hostis jam imminens sistitur, 8; cuius adventum sequetur primo, Israelis deso-

latio, 9; secundo, effusio iræ in Judam, 10; tertio, utriusque destructio, 11, 12; quarto, denegatio vel potius impotentia humani auxilii contra Deum vindictam et derelictionem, 13-15.

Edita videtur hæc propheta, juxta Rosenmuller, cui adstantur Ackermann, Maurer, d'Alliod, ut e vers. 18 colligi potest, Achazi regis Juda temporibus, postquam non solum Manahem, tyrannus Israelis, Assyrio regi in clientelam sese dedisset (IV Reg. xv, 19), sed etiam Achaz ab Assyrio auxilium quaesivisset, IV Reg. xvi, 7, 8; *Isti*, vii, 17; II Paralip. xxvii, 16. Et revera, inquit Maurer, quæ vers. 5, 8, 12, 14, de Judæis dicta sunt, in Tabe, Jothami, Hiskie tempora nullo modo cadunt, contra in Achazi puertile imperium optime conveniunt. Videtur itaque Pechaco et Achaz regnantibus oratio edita esse.

vos, nec solvere poterit a vobis vinculum. 14. Quoniam ego quasi leonem Ephraim, et quasi catulus leonis domui Juda: ego, ego capiam et vadam: et tollam; et non est qui eruat. 15. Vadens revertar ad locum meum: donec deficiatis, et queratis faciem meam.

1. AUDITE HOC, SACERDOTES. — Increpat primo sacerdotes, deinde populum, præsertim primores populi, demum regis aulicos et principes Israelis de idololatria: hæc enim sacerdotes et primores abolere, et populum dedocere debebant, eumque docere verum Dei cultum. Per sacerdotes S. Hieronymus, Haymo, Hugo, Ribera et alii accipiunt pseudosacerdotes idolorum in Israel: hi enim non erant veri et legitimi, tum quia non erant ex tribu Levi; tum quia erant idolorum; tum quia non a Deo, sed a Jeroboam idololatra rege constituti, III Reg. xii, 28. Possunt tamen accipi veri Dei sacerdotes. Ii enim sparsi erant per Israel, ut eum in Dei cultu continerent; sed cum Jeroboam vitulos suos induxit, non tantum populus, sed et sacerdotes regis sui imperium secuti, vitulos hosce et Baalim coluerunt, aliosque colere docuerunt, imo compulerunt.

QUIA VOBIS (Septuaginta, ad vos) HEBRAICUM EST. — *q. d.* Vos Deus vocat ad iudicium et condemnationem; ut scilicet vos ob idololatriam in justo iudicio accuset, et condemnet ad excidium inferendum ab Assyriis. « Iudicium » ergo hic primo, proprie sumi potest; secundo, improprie, per catachresin pro disceptatione, accusatione, redergatione, increpatione, quæ fieri solet in iudicio; tertio, metonymice pro condemnatione, *q. d.* Adeste in iudicio Dei, ut vestram sententiam et condemnationem audiat. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Hugo, Ribera et alii. Alter Chaldeus et Isidorus, *q. d.* Quia vestrum est iudicium, id est quia ad vos spectat iudicare, quia polletis auctoritate in iudiciis; hinc adesse in hoc Dei iudicio, verum non ut iudices, sed ut rei.

QUONIAM LAQUEUS FACTI ESTIS SPECULATIONI, ET RETE EXPANSUM SUPER THABOR. — Pro speculationi hebraice est *misppha*, vulgo *maspha*, quod Vatablus, Arias, Pagninus et passim hebraizantes ac novantes accipiunt ut nomen proprium urbis. Maspha enim fuit urbs sila in monte, eaque celebris; nam in ea fuit arca testamenti, unde eo conveniebat populus ad orationem. Hinc et Samuel in Maspha iudicabat populum, I Reg. vii, 20. In Maspha quoque habitavit Godolias et Jeremias, Jerem. xl, 41. Vertunt ergo hebraizantes: Nam laqueus facti estis in Maspha, et rete expansum super Thabor; ique dupliciter exponunt. Primo, Vatablus, Kinchi et Pagninus, subaudiendo vocem *sicad*, exponunt, *q. d.* Vos scandalo et offendiculo estis populo, ut eum captatis et inducatis ad idololatriam, indeque in exitum et ruinam; sicut venatores laqueos extendunt in Maspha, et retia in Thabor, ad capiendas aves et feras. Secundo, Arias exponit, *q. d.* Jeroboam in Maspha et Thabor

statuit speculatores et custodes, qui capiebant Israelitas cuntes Jerusalem ad templum, eosque cogebant ire in Dan vel Bethel, ibique adorare vitulos aureos Jeroboam. Verum, ut alia omittam, hæc versio obstat, quod Maspha non erat in Israel, ubi regnabat Jeroboam; sed in Juda, ubi regnabat Roboam; ubi docet S. Hieronymus in *Locis Hebraicis*, Adrichomius, et passim alii.

Quocirca noster a Castro censet urbem hæc Maspha aliam fuisse ab ista Maspha Judææ, ac fuisse sitam in Israel, puta in monte Galaad. Mons enim Galaad dictus est Misphe vel Maspha, id est specula; vel, ut Septuaginta vertunt, *egressus*, id est visio, ex eo quod Laban sanciens fœdus cum Jacob, ibi Deum, quasi speculatores, in testem et vindicem sui fœderis per juramentum vocaverit, uti dixi *Genes.* xxxi, 48. Itaque censet a Castro, Jeroboam speculatores constituisse in Galaad, qui populum averterent a templo, et cogent adorare in Dan et Bethel. Sic sensus probabilis et plausibilis videtur.

Verum obstat primo, quod de his speculatoribus in libris *Regum*, et in tota Scriptura nulla fiat mentio, aliquid tamen de his imitatur *Osæ* cap. vi, 9, ut eo loco dicam. Secundo, quod Galaad nusquam vocetur Maspha, nisi *Genes.* xxxi, 48, idque tantum in Hebræo. Tertio, quod *Misppha* hic in Hebræo habet articulum dativi casus; sic enim Hebræa ad verbum habent: *Quia laqueus fuistis ipsi Maspha, et rete expansum super Thabor*. Male ergo recentiores vertunt, in *Misppha*, vel super *Misppha*; *Misppha* enim hic est dativi casus. Quarto, quia Septuaginta, Chaldeus, S. Hieronymus plane consentiunt nostre versioni, vertuntque: *Quia laqueus facti estis speculationi, vel specule*. Itaque *Misppha* hic est nomen non proprium urbis, sed appellativum significans speculationem, vel speculam.

Quæres, quenam est hæc *speculatio*? Primo, S. Hieronymus exponit, *q. d.* Facti estis laqueus pro speculatione, eo sensu quem nox afferam. Hebræum enim *lamed* in *lamedmisppha*, subinde significat pro. Secundo, abstractum hic accipi potest pro concreto, more Hebræo: *speculatio* ergo accipi potest pro populo speculato, seu vestra, o *speculatores* et principes populi, cura et speculationi commisso, *q. d.* Vos, o primores (hos enim alloquitur), qui debebatis speculari, excolere et custodire populum in cultu Dei, eumdem verbis et exemplis peritralixatis ad idololatriam. Sic Ezechiel a Deo constituitur esse speculator populi, cap. iii, 17: vide ibi dicta. Ita Cyrillus, Albertus, Hugo, Emmanuel, Mariana et Lyranus. Aut certe *speculationem*, id est prophetiæ, hoc est Prophetis, *q. d.*

Vos, o Israelite, facti estis laqueus prophetis et doctoribus, quia eis insidias tenditis, eosque captis et occiditis. Ita Chaldaeus, Theodoretus, Theophylactus. *Mitspha* ergo, id est speculatio, significat vel *mitsphe*, id est speculatum, scilicet populum; vel *isophim*, id est speculatores, scilicet prophetas; perinde ac si dicas: Laqueus facti estis episcopo, id est Episcopo, et subditis Episcopo; unde Syrus verit: *Laquei enim facti estis speculatores*.

Quocirca allegorice Cyrillus haec accipit de Judaeis Christo (hic enim est speculator et Episcopus animarum nostrarum, ut ait S. Petrus *epist.* I, cap. II, vers. ult.) ejusque verbis et factis ubique insidiantibus, ut eum in necem et crucem agerent, uti tandem fecerunt. Sic et Leo Castrius, qui putat hunc esse sensum litteralem, adeoque de Christo totum hoc caput, imo totum prophetam explicat ad litteram, in quo hallucinatur. De Christo enim propheta loquitur allegorice, non litteraliter.

Nota: In Hebraeo pulchra est paronomasia inter מִסְפָּה *mispaf*, id est iudicium, et מִסְפָּה *mitspha*, id est speculationem, *g. d. Vobis mispat*, id est iudicium, est, hoc est, cito vos ad iudicium, quia fuisit laqueus *lentispha*, id est speculationi. Rursum inter פֶּחַח *pach*, id est laqueus, et מִסְפָּה *mitspha*, id est specula, *g. d. Pro specula facti estis laqueus: vestrum enim erat speculati, et praemonere ac custodire populum: sed vos ipsi eum illaqueastis, et in laqueum, id est in captivitatem hostium induxistis, juxta expositionem S. Hieronymi primo loco assignatam (1). Perinde ac si Iastine Iudas, ac dicas: Vos speculatores facti estis expilatores aut speculatores; vos tutores traditores; vos curatores proditores; vos defensores direptores; vos pastores perdiores: vos Episcopi apostatae. Ita Synodus generalis V, *actione v*, ex verbis S. Cyrilli, hunc Osee laqueum dicit esse Theodorum Mopsuestenum, et similes heresis et falsitatis doctores.*

ET RETE SUPER MONTEM THABOR. — Subaudi voculam *sicut*, *g. d. Sicut venatores rete tendunt avibus et feris in Thabor, ita vos insidias tendistis vel populo, vel prophetis et predicatoribus. Porro Thabor, vel, ut Septuaginta et Josephus vocant, Itabyrius, mons est pulcherrimus in medio Galilaeae campo, mira aequalitate ex omni parte rotundus: in vertice viginti sex stadiorum campestris planities patet: oculi temperie est sa-*

(1) Hunc sensum ita probat et exponit Maurer: *Cum Mitspha et Thabor proprie significant speculam, locum editum, ideoque utroque nomine locus indicitur et cus-todibus et venatoribus aptus; vates pro more suo insidias videtur verbis, atque hoc sibi voluisse: nam in alto in quo vos ego constitui loco, cum custodes populi esse debissetis, illius venatores (corruptores, perdiores) potius exististis. Apposito vero duo isti loci commemorantur propterea quoque, quod unus mons Mitspha situs erat in orientali, alter, Thabor, in occidentali terre parte.*

luberrimus: vineis, olivis, aliisque arboribus fructiferis undique consitus: rore perpetuo rivus, arborum frondibus, et versicoloribus herbis semper viridis, atque suavi omnigenum forum odore fragrantissimus. Hinc magna ferarum, maximeque avium in eo est frequentia, quarum et grato concentu amonissimus est, et venatu celebris: unde in eo venatores retia tendebant, ut ait hic Osee. Denique totus hic mons pascenda oculis, reficiendisque animis natus factusque videtur: ideoque eum Christus Dominus merito delegit tum orationi, tum transfigurationi suae, in quo sole lucidior et nive candidior refugens coram Mose et Elia, caelestis beatitudinis et gloriae specimen aliq[uo]d discipulis suis dedit. Ita Bochartus, Bredembachius et Adrichomius in *Descriptione Terrae sanctae*.

Tropologie Theophylactus: Speculatores, id est Episcopi, Pastores et Praelati, quorum erat invigilare salutem subditorum, eis fiunt rete, cum vel falsa doctrina, aut pravis consiliis, vel moribus et exemplis eos secum implicent, trahuntque ad scelera et in ruinam; idque in Thabor, quod nomen hebraice significat, vel puritas, vel veniens lumen, ait S. Hieronymus, quia in ipsa sacerdotum pulchritudine animis fœditatem afferunt; in ipsa puritate inquinant; in ipso lumine tenebras effundunt; in ipsa celsitudine in profundum plebem praecipitant, ait Sebastianus Barradius, lib. VII, cap. v. Unde Arabicus Antiochenus verit: *Quia facti estis laqueus in offensionem, et quasi rete expansum super abyssum; et Arabicus Alexandrinus: Jam facti estis sicut laquei in locis insidiarum, et sicut cubus qui ponitur in venationem in nemoribus animalium (2).*

2. ET VICTIMAS DECLINASTIS (scilicet a Deo, ejusque templo, et altari Hierosolymitano, ad idola eorumque aras erectas in Dan et Bethel: idque) IN PROFUNDUM, — scilicet impietatis. Unde Chaldaeus verit: *Sacrificant idolis largissime, Hebraei enim sumunt verba pro adverbis. Ita Ribera. Hebraea ad verbum habent: Victimam declinastis profundaverunt, id est in profundum scelerum aberunt, profunde descenderunt, in fundum idololatriae prolapsi sunt, et, ut ait Osee, cap. IX, 9: « Profunde peccaverunt. » Eadem phrasim ulitur Isaias cap. XXXI, 6: « Convertimini sicut in pro-*

(2) « Et victimas declinastis, » etc. Ut nullus ageret penitentiam, nec occisus elevaret caput, inquit S. Hieronymus. Prohiberunt et reges et sacerdotes ire ad templum in Jerusalem, idcirco in profundum victimas declinasse dicuntur. Quam interpretationem, ut observat Rosenmuller, vix dubium est, Hieronymum accepisse a magistro suo Hebraeo. Tradunt enim Jarchi et Abarbenel doctores veteres hunc locum ita interpretari: et ad jugulandum, illi qui declinant, profunde sua abscondunt, id est, callidissime sic consilia sua prebent: vegetantque, ut impedimenta injicerent, quomodo ad ananiam lego prescripta festa celebranda proficisci Hierosolymam populo daretur, quia et jugulabant atque intermebant, si quis ire in domum Dei deprehenderetur.

fundum recesseratis (hebraice *sicut profundastis*) filii Israel. » Et cap. XXX, 33, dicitur Tophet, id est gehenna, profunda et dilatata; hebraice *profundavit et dilatavit se*. Ita S. Hieronymus, Albertus, Lyranus, Arias, Ribera et alii. Aliter Vatablus et Clarus, qui per profunditatem intelligunt calliditatem et versutiam, *g. d. Apostata qui declinant a vera religione, rationem subtilem et callidam invenerunt immolandi diis alienis: dicunt enim se colere idola in honorem Dei. Sic Galli dicunt: Voila un homme profond, com callidum et astutum denotare volunt.*

Septuaginta haec referunt ad rete quod praecedit, vertunt enim: *Qui capiunt venationem confecerunt*; ut Hebraeum *profundaverunt*, idem sit quod profunde vel retia in terram, vel lanceas et venabula: in corpora deflexerunt, scilicet venatores: legendum enim *confecerunt*, ut habet editio Romana Cirastrae, S. Hieronymus, Theodoretus et Theophylactus; non *timuerunt*, ut habent Complutensis et Regia. Syrus verit: *Et venatores qui venantur operaverunt laqueus, g. d. Capti sunt laqueis suis, quos aliis tetenderunt; ego autem crudum (corripiam) eos omnes, ego scio. Mystice S. Gregorius, homil. 4 in Ezech. : « Sunt, ait, nonnulli qui idcirco se in prece lamentis afficiunt, ut aut terrena commoda acquirant, aut hominibus sancti videantur. Quid hi nisi victimas in profundum defecerunt? qui per hoc quod in imo sunt quaerunt, orationis suae sacrificium deorsum deponunt. »*

ET EGO ERUDITOR OMNIUM FORUM, — *g. d. Profunde peccant, cum famen ego nunquam destiterim eos corripere per prophetas et erudire, ne tantum scelus patarent. Ita S. Hieronymus et Septuaginta qui vertunt, ego magister eorum. Minus recte verit Lyranus, et ego cognitor eorum, g. d. Non pudet eos peccare in mea praesentia; ego enim omnium eorum scelera cognosco et video. Nam Hebraeum *musar*, non significat cognitionem, sed correctionem, objurgationem, castigationem: unde disciplina et castigatio puerorum vocatur *musar*. Quocirca Chaldaeus verit: *Ego adduco correctiones, vel castigationes super omnes illos: quod Theodoretus et Theophylactus exponunt per futurum, g. d. Ego castigabo eos excidio, puniam eos captivitate.**

3. EGO SCIO EPHRAIM (id est, ut rhythimice more Hebraico quasi per carmen antistrophum explicat, dum subdit): ET ISRAEL NON EST ABSCONDITUS A ME. — Aut potius Ephraim vocat tribum regiam et capitalem; Israellem vero reliquas novem, quae Ephraim idololatriam et imperium secute sunt; distinguit enim Ephraim ab Israel, vers. 5, *g. d. Novi ingenium et indolem Israelis, quod scilicet in idola sit propensissimus, et a memaxime aversus, quodque idololatriam et vitulos Jeroboam qui fuit primus eorum rex ex tribu Ephraim mox prono animo secutus sit, adeoque alte animo suo impresserit, ut eum quasi corripere non*

suum totus populus, omnesque deinceps reges in scelere imitati et asecuti sint, nec ullis prophetarum monitis aut minis ab eo revocari possint, nisi equitio conterantur, et captivitate durorum corda frangantur. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rupertus, Albertus, Arias, Lyranus et Vatablus.

Tropologie, hic nota Deum cognoscere et providere intimas et secretissimas mentium cogitationes, desideria, propensiones, intentiones. Unde in Scriptura vocatur cardiognostus, quia scrutator renes et corda. Quocirca Isaias, cap. XXIX, 15, graviter redarguit impios, qui putant se Deum latere dicentes: « Quis videt nos, et quis novit nos? » quod tantumdem est, ac si figmentum, inquit, dicit fictori suo: Non intelligis, » non me cognoscis, quod impium est; Dei enim est creaturas suas, quas ex nihilo creavit et finxit, regere et conservare: ergo qui eas creavit, eas pariter intime cognoscit, penetrat et pervidet. Praelate Sapiens, *Proverb. XV, 11: « Infernus, ait, et perditio coram Domino, quanto magis corda filiorum hominum: » perditio, id est damnatio aeterna, g. d. Novit Deus ima inferni; et qui, quot, quantumque ob scelera sua sint dammandi, aut damnati; ergo multo magis novit secreta cordium ejusque. Ita valet, stringitque hoc argumentum a majore ad minus, *g. d. Cum in cubili, imo in corde occultissime peccas, cum te latere credis, adeo Deum non lates, ut simul ipse videat penas, quas praecise mereris, quasque ipse tibi in gehenna pro illo crimine praeparavit. Tu peccas, et inane concupiscentiam exples, interimque non cogitas gehennam et ignes aeternos, qui tibi a Deo parantur. Hoc est quod graviter et significanter ait Apostolus, *Hebr. IV, 12: « Vixus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio accipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: » omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus. » Vide ibi dicta. Atque haec est causa cur Deus praevideat et praecognoscat omnia contingentia futura, omnesque actus voluntatis liberorum futurorum, vel absolute, vel conditionate, si videlicet in tali, vel tali rerum serie, talibusque circumstantiis voluntas poneretur, quid ipsa futura et electura esset; quia scilicet ipse praevidet, et plane comprehendit totam voluntatem, omnesque ejus occultas affectiones et propensiones, ali et circumstantiarum rerumque omnium, itaque videt ipsam positam et compositam cum tali gratia, tentatione, aliisque circumstantiis certo et infallibiliter, sed libere ad hoc illud se determinaturam. Qui enim causam comprehensiva cognitione cognoscit et comprehendit, comprehendit et omnes ejus effectus actusque, etiam liberorum.***

¶ MIN DARENT COGITATIONES SUAS UT REVERTANTUR.

DE AD DEUM SUUM. — Alter verti potest ex Hebræo, scilicet: *Non permittit opera eorum* (impia et idololatrica, quibus assidue vacant) *ut recedantur ad Beniamin*. Ita Chaldaeus et Vatablus, cui apte coheret quod sequitur:

QUIA SPIRITUS FORNICATIONUM IN MEDIO EORUM. — *q. d.* Ita dedisti sibi idololatriæ, ut videantur spiritu et haereditate idololatriandi agi et furere, uti vacæ acie ostro furentes discurrunt, et a bubulco revocari compescique nequunt. Aliter Vatablus: intelligit enim spiritum pseudoprophetarum, *q. d.* Dorepti sunt a pseudopropheta, illorumque doctrina et spiritu idololatrico imbuti in idola insanunt.

5. ET RESPONDEBIT ARROGANTIA ISRAEL IN FACIE EIUS. — *Arrogantiam* vocat superbiam Israelis, qua spernens Deum, sequebatur idola: rursum *arrogantia* hic sumitur pro pœna culpæ arrogantia debita, *q. d.* Punietur hæc arrogantia Israelis, ita ut pœna respondeat culpæ, cujus publicæ, quasi in faciem dicat: Ecce, quia, o Israel, tum arrogans fuisti et rebellis in Deum tuum, hinc merito nunc ab eo humilis et plecteris. Hinc Vatablus et Pagninus vertunt: *Testificabitur factus Israelis contra eam*, idque *in faciem ejus*. Unde explicans subdit: « Et Israel et Ephraim ruent in iniquitate sua. » Quocirca Septuaginta pro respondebit, vertunt, *humiliabitur injuria* (injuria in Deum arrogancia) *Israel in faciem ejus*: Chaldaeus, *deprimetur gloria Israel ipsius videntibus*. « Respondebit » ergo, id est ex æquo punietur et humiliabitur, ut conquenti iuste respondere possit, eum ita puniri, quia fuit tum arrogans. Nam pœna debetur et commensuratur, itaque ex æquo respondet culpæ ac peccanti, sicut præmium virtuti, merces labori, fructus agricolæ, uti ait Iacob ad Laban, *Genes. xxx, 33*, quia hic alluditur. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Albertus, Hugo, Lyranus et Ribera.

IN FACIE. — Id est palam, publice, ipsis aliisque omnibus videntibus, et iustum Dei iudicium ac vindictam approbantibus. Ita Chaldaeus, Theophylactus et alii jam citati. Aliter Arias, qui *in facie*, putat significari impudentiam, *q. d.* Arrogantia et fastus Israelis cernitur et relucet in facie ejus, oculis et supercilii inflatis, alis et tumidis, juxta illud *Isaia ix, 9*: « Agnitus vultus eorum respondit eis. » Vide ibi dicta. Vere dixit B. Casarius. Episcopus Arelatensis, *homil. 23*: « Quisquis superbus est, cœcitate plenus est. »

Moraliter S. Gregorius, lib. *XXVI Moral.* cap. *xix*, ex hoc Osee loco docet luxuriam esse pœnam arrogantie: « Occuliam, inquit, culpam sequitur aperta percussio; ut malis exterioribus interiora puniantur, et cor publice corruat, quod latenter tumbat. » Probat id ex eo quod Osee hic dixit: « Spiritus fornicationum in medio eorum. » Ejus causam assignans subdit: « Et respondebit arrogantia Israel in faciem ejus: ac si diceret: Culpam quam per fornicationem meritis in occulto habuit, per

carne luxuriam in aperto respondit. Proinde humilitatis custodiam servanda est mandata caritatis. Si enim pio spiritu sub Deo preberet, caro illicite super spiritum non levatur. Quippe spiritus commissus sibi dominum carnis, si tamen sub Deo recognoscit jura legitime servituti. Nam si auctorem suum superbiendo contempnit, juro et a subjecta carne prelium suscipit. » Probat id exemplo Adæ, qui mox ut inobediens contra Deum superbiuit, stimulum carnis sensit; ideoque erubescens nuda membra foliis ficus contextit: ac ut superatus disceret, quid elatus amisisset. »

ET ISRAEL ET EPHRAIM RUENT IN INIQUITATE SUA. — Hæc est responsio realis, non verbalis: de qua jam dixit: « Et respondebit anarrogancia Israel in facie ejus. » Distinguit Israel ab Ephraim, uti corpus a capite, regnum a metropoli. Tribus enim Ephraim dedit primum regem Jeroboam, multoque deinceps ejus successores Israeli: unde Ephraim continebat imperium et regnum Israelis, sive decem tribuum, earumque erat quasi caput et metropolis. Sensus ergo est, *q. d.* Decem tribus ruent cum suo capite, puta cum suo imperio, cum sua tribu regali Ephraim, ejusque regis et regno, idque « in iniquitate sua, » id est merito iniquitatis, propter iniquitatem suam. Sic enim prepositio *in*, Hebræis sepe significat meriti vel demeriti, idemque valet quod *propter*, ut legenti Psalmos notissimum est (1).

RUENT ETIAM JUDAS CUM EIS. — *q. d.* Etiam decem tribus, sive regnum Juda ruent, quia Israelis idololatriam secutum est.

6. IN GREGIBUS SUIS ET IN ARMENTIS. — *q. d.* Positi in calamitate, et ab hoste circumdanti, quærent Deum per victimas gregum et armentorum; sed frustra: nec enim eum inveniunt, utpote qui derelinquentes se pariter derelinquent. Ita S. Hieronymus. Hoc est enim quod subdit: « Ablatus est ab eis; » Chaldaeus: *Subdavit se majestas ejus ab eis*. Allegorice, *q. d.* Judæi post Christum volent Deo offerre pristinas gregum victimas, iisque Deum placare; sed frustra: ipse enim recessit ab eis ad Christianos, et gregum victimas, in Eucharistiam corporis Christi commutavit. Ita Theophylactus et Leo Castrinus.

7. QUIA FILIOS ALIENOS GENERENT. — « Alienos, » scilicet a Deo, Deique cultu; sive quos ab infantia in idololatria educant, aut Moloch aliisque idolis pro ignem consecraverunt. Hi enim me non cognoscunt, nec ego illos ut meos cognosco, sed

(1) Alii, inquit Ackerman, statuunt hanc predictionem eventum narratum esse regnante Achaz idololatram Jerusalem introductante, cujus regno per Phœnem (Phœkacha), et regem Syriæ Bazium insignes clades illius fuerunt, quodque Philistæi et Idumæi eodem tempore invadebant, quo Teglatphalasar rex Assyriæ ab Achaz in auxilium vocatus Bazium occidebat, Danasque expugnabat, et Phœnem magna regni Israelitici parte privabat.

ut alienos æstimo. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Albertus, Hugo et Clarius. Huc accedunt Rupertus et Lyranus, qui per *filios alienos* intelligunt discipulos, familiares, aut subditos, quos ipsi docebant suam idololatriam.

Secundo, Cyrillus, Theodoretus, Theophylactus, Clarius, Emmanuel et Mariana censent vocari *filios alienos*, quos ex alienigenis, puta ex filiabus gentium, quarum connubia eis erant a Deo velita, *Ezod. xxxiv, 16*, et *Deuter. vii, 3*, procreabant. Unde Chaldaeus vertit: *In verba Domini perperam egerunt, quia filios de filiabus gentium sibi statuerunt.*

NUNC DEVORABIT EOS MENSIS. — *q. d.* Per singulos menses irruet in eos hostis et plaga, eosque percutiet et vastabit. Unde Chaldaeus vertit: *Nunc adducam adversus eos populos per singulos menses, qui populabuntur fructus terræ eorum; et Arabicus Antiochenus: Nunc devorabunt eos latrones, et gentem eorum; et Arabicus Alexandrinus: Comedet eos Assur, et omnia bona eorum.* Ita S. Hieronymus, Haymo, Hugo, Vatablus, Emmanuel et alii: et patet ex *IV Reg. xv, 19* et *29*, sub Phul, Teglatphalasar, et Salmanasar crebras fuisse irruptiones Assyriorum in Samariam. Rursum Deum plagas alias et alias successive et continue in Israelitis immississe, significat illud *Joel. i, 4*: « Residuum eruce comedit locusta, et residuum locuste comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo. »

Secundo, Clarius et Vatablus per mensem, synecdochice accipiunt breve tempus. Hebraei, inquit, illud *nunc*, quod dixerat, cur dicit *mensis*, *q. d.* Post tempus menstruum, id est brevissimum, perituri sunt cum suis facultatibus: aut, hoc mense vastabuntur et devorabuntur. Videtur enim Propheta hæc dixisse jamjam imminente hoste et clade; unde subdit: « Clangite buccina in Gaba. » Hic sensus plenus videtur et facilis.

Tertio, Lyranus, Mariana et Arias ex R. Salomone, per mensem accipiunt *Ab*, id est julium: censent enim in julio captam et excisam esse Samariam cum regno Israel. Sed hoc incertum est: certum est eodem mense julio combussum esse Jerusalem cum templo a Chaldaeis, totumque regnum Hebræorum, sive posterorum Israelis, *IV Reg. xxv, 8*; illi ergo certius hæc alitribus.

Denique Septuaginta pro *mensis* vertunt *rubigo*; videtur ergo pro *וְרִדְוָה* *chodes*, id est mensis, legisse *חֹדֶשׁ חַשׁוּל*, id est rubigo; Aquila vero vertit *neomenia*, forte quia censuit primo die mensis excisam esse Samariam. Hæc Aquile versio illustrem dat allegoriam et tropologiam. Neomenia enim, sive novilunium, quod erat Hebræis prima dies mensis (hunc enim inchoabant a nova luna), symbolice representat novum imperium, ac consequenter mutationem status gentis et regni, *q. d.* Brevis veniet neomenia, id est novus monarcha, puta Salmanasar, et Nabuchodonosor,

ac novum eorum imperium, quod devorabit Israelitas et Judæos, veteremque eorum gentem, mores et regnum. « Novus enim rex, nova lex, nova plebs, » ut vulgo dicitur. Et hoc significat Hebræum חֹדֶשׁ *chodes*, scilicet innovationem, novitatem, a radice חָדַשׁ *chadash*, id est innovavit, novum fecit: unde enim neomenia, sive calendæ vocantur *chodesse*, eo quod tum fiat innovatio lune, et consequenter mensis lunaris, quo utantur Hebræi. Itaque omnes res humanæ, omnes gentes, omnia imperia sub luna sunt, et reguntur a luna, id est a vicissitudine, mutabilitate, et quasi a fortuna. Sunt ergo lunatica, ac instar lune, et cum luna cito decurrunt, transeunt, et finiuntur in novilunio, dum scilicet novus rex, novumque imperium assurgit.

Quocirca fides illa cœlestis, *Apoel. xii, 7*, Ecclesiam et mulieres representans, lunam habet sub pedibus, quia fideles et sancti terra sunt afflores et luna, id est est omni rerum temporalium mutabilitate, ac cum S. Paulo mentem et conversationem habent in cœlis.

CUM PARTIBUS SUIS. — Septuaginta, et *cleros eorum*: *cleros*, id est sortes, puta terras et agros, que sortito cuilibet tribui et familie obveniant, *Josue cap. xv*; unde Leo Hebræus vertit, *cum agris suis*.

8. CLANGITE BUCCINA IN GABA, TURA IN RAMA. — *Buccina* erat eorum cotinea, *tuba* ex ære ætæ, sabinde ex argento argentea, *q. d.* Adest hostis, imminet periculum, vel obsidio; ergo clangite et convocate populum ad arma, ut hosti resistat. Nota: *Gaba* et *Rama* urbes erant celebres in tribu Benjamin, vicinæ, et in monte site: unde et nomen acceperrunt. *Rama* enim significat excelsum, *Gaba* colleni. Quocirca Septuaginta vertunt: *Clangite tuba super colles, resonate in excelsis*. Porro Benjamin Jude adhesit, fueruntque hæc due tribus unite sceptro et familie Davidis tempore Roboam, cum ab ea decem relique tribus fecerunt schisma, electo rege Jeroboam. Hinc ergo post Israelium exitum denuntiat, explicat enim illud quod dixit: « Ruent etiam Judas cum eis, » *q. d.* O due tribus, ne putetis vos immunes fore a clade et excidio Israelis; quin potius tubis clangite: video enim in spiritu imminere bellum et excidium decem tribubus, que colant idola in Bethel et Bethaven: video pariter quod, is abductis, in vos quasi vicinos sese convertet hostis, vosque pariter vastabit et excindet. Ita S. Hieronymus, Hugo, Lyranus, Ribera, a Castro et alii. Hæc de causa cum dixisset: « Ululate in Bethaven: » que urbs erat decem tribuum, subdit: « Post tertium tuum Benjamin, » *q. d.* Post Bethaven, que tibi a tergo est, o Benjamin, tu hostis quasi flamma pergens pariter invadet et corripiet:

Nam tua res agitur paries cum proximis ardet.

Aliam causam cur in Gaba et Rama

beat, dat Chaldeus dum vertit: *Buccinate*, propheta venturos contra eos populos interfectores, eo quod creaverunt regem super se Saulen, qui erat de Gabaa Benjamin, etc., et eo quod minime susceperunt verba Samuelis prophetae, qui erat de Ramatha. Verum esto hec de Saule et Samele vera sint, tamen remotiora sunt; nec de his hic agitur, sed de presenti idololatria, ob quam Israelitae puniendi erant excidio ab Assyriis, et Judei a Chaldeis.

**ULULATE.** — Hebraice חרירי *haris*, id est vociferamini, conclamate, scilicet ad arma, eo quod hostis adsit. Unde Vatablus vertit, *clangite*: Septuaginta, *predicate in domo tua*; ut vociferamini, quasi de re jam desperata et conclamata, quod scilicet hostis iam expilet et incendat urbem, omnesque trucidet: tunc enim solet audiri clamor et ululatus puerorum et feminarum: et hoc videtur voluisse Noster, dum vertit, « ululate. » Ita Rupertus, Haymo et Albertus. Porro Septuaginta vertunt, *in domo tua*, in quo Graeci interpretes se torquent; sed dico Septuaginta תוך ביתך *beth aen*, per erasin legisse תוך ביתך *beth on*. Idem ergo est *Bethven*, id est domus iniquitatis, puta idoli, quod *Bethon*, id est domus doloris; idolum enim et scelus hebraice vocantur *labor* et *dolor*, quia ejus est causa. Ex *Bethaven* ergo, id est ex domo peccati, itur in *Bethon*, id est in domum doloris, tum praesentis, tum aeterni, puta in gehennam.

**POST TERGEM TUUM BENJAMIN.** — *q. d.* A tergo tibi instat et imminet hostis, o Benjamin; jam enim expugnat Bethaven, quae tibi a tergo adjacet; ita Clarius, Vatablus et alii. Hebraice est, *post te Benjamin*, scilicet est hostis in Bethaven. Mirum Septuaginta vertere תורתך, id est *mente excessit*, vel in mentis stuporem et exstasin raptus est Benjamin.

**9. IN DIE CORREPTIONIS** (punitionis, vindictae et excidii. Refer haec verba tum ad id quod praecedit: « Ephraim in desolatione erit. » Ita Hebraeus, Chaldaeus, Septuaginta et Latina Romana, *q. d.* O quantum desolabitur Ephraim in die excidii! tum ad id quod sequitur): **IN TRIBUBUS ISRAEL OSTENDI FIDEM**, — *q. d.* In die excidii « ostendi, » id est ostendam fideles et veras fuisse meas minas, quibus per Prophetas eis hoc excidium intentavi et praedixi; ostendam ergo eis meam fidem, id est veritatem seu fidelitatem: fiet enim excidium quod praedixi et comminatus sum. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Arias et Ribera. Alii tamen haec 3 sequentibus dirimunt, ac tantum ad id quod praecedit referunt. Unde id quod sequitur « ostendi, » proprie accipiunt in praeterito, *q. d.* Saepius fideliter admonui decem tribus de excidio futuro, nisi respicerent: libera vi ergo fidem meam per fidem admonitionem: ideo me accusare seque excusare non possunt, quod a me non fuerint praemonite. Hisc ergo verbis ocludi eis os: fidem enim vocat sinceram, amicum

et fidem praemonitionem. Ita Chaldeus, Clarius, Vatablus et a Castro. Hic sensus appositus est magisque respondet dispositioni Bibliorum Hebraeorum, Chaldaeorum, Graecorum et Latinorum Romanorum.

**10. FACI SINT PRINCIPES JUDA QUASI ASSUMENTES TERMINUM.** — scilicet alienum, puta alieni agri et fundi, id est *transferentes*, ut vertunt Septuaginta ac Syrus, et promoventes terminum, id est lapidem, stipitem, vel columnam terminalem (quo agri proprii limitantur, et ab alienis dividuntur), scilicet ad hoc, ut eos, vel eorum partem suis agris et fundis adjungant: quod est peccatum injustitiae et furti, vitium lege Dei, *Deuter.* cap. xix, 18. Solebant enim veteres vel lapide in terram defosso, uti etiamnum fit, vel erecta columna, aut titulo fundus limitari, ut constaret quosque eorum fundus porrigere, ne ab alio invadi aut occupari posset. Hic lapis limes, et signum dividens agrum ab agro, vocabatur terminus. Hinc Terminus Gentilibus erat deus, in cujus tutela credebant esse limes agrorum, cujus festa dicebantur Terminalia. Tales deos Terminus passim Romae, quasi antiquitatis monumenta, in hortis magnatum asservari et exponi videmus. Jam sensus hic est multiplex. *Primo, q. d.* Principes Judae transferunt terminos agrorum, et alienos agrorum invadunt, suisque contra jus et fas adjungunt. Ita Chaldeus, Arias et a Castro. Verum esto huc alludat, et quasi obiter hoc eorum scelus perstringat, tamen omnia praecedentia et sequentia alio, scilicet ad idololatriam, spectant.

*Secundo, S. Hieronymus, Haymo, Hugo, Lyranus, Mariana et alii* exponunt, *q. d.* Principes Juda, ipsique Judei gaudent decem tribus esse abductas ab Assyriis, ut ipsi suos terminos progare, eorumque terram occupare possint. Verum hoc parum credibile est et de Ezechia poe, sub quo decem tribus abductae sunt. Rursum, esto id fecisset, licite fecisset: juste enim potuisset Judas, Israele abducto, ejus terram occupare: erat enim ejus proximus haeres, eique ut frater fratri succedere poterat et debebat. Tota enim Chananaea data erat a Deo Jacobo, et posteris ejus; unde si qui ex eis moriebantur, vel abducebantur, fratres in eorum possessiones succedebant. Denique obstat ratio prioris sententiae opposita.

*Tertio, ergo* melius sic exponemus, *q. d.* Principes Juda similes sunt raptoribus, qui terminos suos transferunt, ut alienos invadant. Pari enim modo ipsi terminos fidei et cultus met, mensque Ecclesiae transferunt, voluntque sibi adungere et copulare deos gentium, eorumque cultus, templa et aras, ipsaque gentes et Synagogam infidelium. Ita Theophylactus, Theodoretus et Theodorus Antiochenus. « qui ait: » Transferunt terminos meos et jura, honorem, qui mihi debetur, in idola transferentes, more eorum qui contra

ius alienos terminos transferunt. » Hoc enim exit vox quasi: hec enim significat eos non esse proprie translatores terminorum; sed tantum illis esse similes (1). Addit Ribera, *q. d.* Judei non contenti adorare idola, quae erant in Judea, transferunt quoque in alienos terminos, ut in Bethaven, quae erat decem tribuum, imo in Assyriam, ut eorum idola colerent, templaque et aras vicinis suis implerent, imo ut idola haec ex Assyria traderent in Judaeam, uti fecit Achaz, IV *Regum* cap. xv, 10 et 18. Hunc sensum exposcunt sequentia, sequitur enim: « Quoniam cepit abire post sordes, » id est idola. Et clarius vers. 13: « Et abiit Ephraim ad Assur, et misit ad regem ultorem. » Judei enim, aequae ac Israelitae, pressi ab hostibus, ad vicinas gentes opem postulantes confugebant; utque eam impetrarent, eis in fide et religione se sociabant, eorumque idola colebant, imo transferrebant in Judaeam: unde haec passim redarguit Jeremias, Ezechiel, Osee hic, alique Prophetae. Haec de causa Noster vertit, non *transferentes*, sed *assumentes terminum*: quia idola haec gentium assumebant sibi Judei, quasi deum suum tutorem et terminalem, qualis Romanis erat deus Terminus. Propheta enim minores loquuntur concise, enigmatically, parabolice, ideoque obscuro sunt, quia paucis verbis multa significant, et ad multa alludunt.

Denique Arabicus Alexandrinus vertit: *Tantum qui immulati sunt in funibus suis*: olim enim agros et fundos demeticabantur funibus; Arabicus vero Antiochenus: *Tacti sunt principes Juda, tantum qui dimissus est cum aliis suis*. Videtur respicere ad id quod dictum est cap. iv, 19: « Ligavit eum spiritus in alis suis. »

**Tropolocice**, « assumentes terminum » in fide, sunt heretici, qui transgredientes terminos religionis a Patribus sanctis, assumunt sibi quasi idolum haeresin Lutheri, Calvini, etc. In moribus vero, qui transgredientes justitiae aut charitatis terminos Decalogi sanctos, assumunt sibi concubinas, usurpant fundos, domos et praedia aliena. Rursum qui actionum suarum scopum et finem sibi praefigunt, non Dei honorem, sed suum; qui ambiunt dignitates et prelaturas; qui nomen et famam non in oculis, sed in terris occupantur; qui familias suas praeter jus et fas evehere et extollere moluntur.

**SUPER EOS EFFUNDAM QUASI AQUAM TRAM MEAM.** — *q. d.* « Hostium multitudinem velut inundatione quadam fluminis (aut torrentis) occupabo eos, » ait S. Hieronymus et Theodoretus. Unde a Castro: « Effundam, ait, super eos quasi diluvium indignationem meam. » Videtur alludere ad diluvium Noe,

(1) Et revera transferre terminum proverbiali sermone dictum videtur de illis qui leges majorum, quibus homines in officio continentur, tenere immutant (vide *Deut.* xiv, 14; xvii, 27; *Proverb.* xxi, 28; cf. *Psalm.* xi, 3), qui leges divinas impudentissime violant, et bona civium vi et fraudibus ad se rapiunt.

quo Deus omnes impios obruit. Verum quia ait, « aquam, » non flumen, non torrentem, non diluvium; hinc *secundo*, simpliciter cum Vatablo et Ribera accipiemus de aqua, quae vase everso et inverso tota effunditur, ita ut vix gutta herent aut reslet; aqua enim tota est liquida et fluida, quia nihil habet glutinosum aut viscosum, quod vasi adhaeret, uti habent oleum, lac, mel, etc., quae proinde si effundantur, sui partem vasi adherentem relinquunt, *q. d.* Sicut aqua ex vase inverso universa simul effunditur, ita ego meam excandescentiam totumque furorem meum, simul et semel in eos effundam. Sic Christus, *Psalm.* xxi, 18, ait: « Effusus sum sicut aqua, » *q. d.* Omnes vires, spiritus, et sanguinem effudi instar aquae effusa. Sic Israelitae cincti a Philisteis, penitentes invocant Dominum: « Hauseruntque aquam et effuderunt in conspectu Domini, » quasi dicerent: Sumus coram te, Domine, ut aqua ista effusa; unde sequitur: « Atque dixerunt: Tibi peccavimus, Domine. » Quocirca Chaldaeus vertit: *Et impleverunt aquas, et effuderunt cor suum in penitentia*. Et S. Gregorius in illum locum: « Quid enim, ait, est aquam haurire, nisi de profunda animi penitens confusioe fluentia lacrymarum produceret? » etc.

**11. CALUMNIAM PATIENS EST EPHRAIM** (*Calumniam*. Hebraei vocant oppressionem, sive ab hoste, sive ab accusatore fiat, sive a quo alio, vim aut injuriam faciente; hanc enim significat קטן *osseo*, *q. d.* Israel opprimetur ab Assyriis injuste, ulpote tyranni; juste tamen respectu suorum scelerum, Deique justis iudiciis: unde) *Evocatus* (est) iudicio, — tum justo Dei, tum injusto Assyriorum. Ita S. Hieronymus, Haymo, Hugo et Lyranus. Alludit ad iudicium in quo quis per calumniam falsorum testium, aut injusti iudicis opprimitur, damnatur, plectitur. Unde *pro fractis* hebraice est רצון רצונו, id est concussus, oppressus, conculcatus, stratus, prostratus est. Sic enim hic quasi iudex erat tyrannus Salmanasar, qui Israelitas injuste concussit, oppressit, spoliavit, occidit. Iudicium ergo hic est vindicta et supplicium pro iudicio quasi irrogatum, quod ex parte Dei erat justum iustaque scelerum ultio, ex parte Salmanasar injustum: ei enim non nocuerant Israelitae.

*Secundo, Vatablus iudicium* proprie accipit, *q. d.* Israel vi opprimetur et iniquis iudiciis apud gentes, inter quas erit captivus. Sic enim fieri solet peregrinis, praesertim captivis. Cum ergo Israelitae oppressi ab Assyriis iudicio cum eis contenderent, suumque jus et res in eos peterent, ab Assyrio iudice quasi exteri et captivi repellentur, et causa Assyrio oppressori adjudicabitur.

*Tertio, Septuaginta censent* hic denotari crimen Ephraim, ob quod Deus in eum iram effundere decrevit. Unde vertunt: *Oppressit Ephraim adversarium suum, concitavit iudicium; quia cepit abire post vana, puta post idola*. Injuria enim vi

Deum pro idololatriam, est origo injuriæ, opprobriis et iniustitiæ in proximum: sicut ex adverso qui fideles sunt Deo, fideles sunt et proximo. Nimirum pro עֲשֵׂה אֲשֶׁק, id est calumniam patiens, Septuaginta alio puncto legerunt עֲשֵׂה אֲשֶׁק, id est opprimere, calumniam facere; sic pro אֲשֶׁק אֲשֶׁק, id est fractus, legerunt aliis פֶּתַח רִצְוֹן *raivsois*, id est frangere, hoc est oppressit, fregit: Hebræi enim infinitivis utuntur pro præterito.

QUONIAM CŒPIT ABIRE POST SORDES, — id est post idola. Hec enim Scriptura vocat sordes et stercorea, quia sunt numina vilissima et putidissima, ut ea adducat in odium et contemptum. *Secundo*, Chaldaeus vertit: *Quia abiit ut erraret post mammona iniquitatis, q. d. Ideo Ephraim vim patitur et iudicio opprimitur, quia ipse pari modo pro muneribus in iudicio oppressit pauperes, insonesque damnavit. Tertio*, Clarus, Arias, Vatablus et Pagninus vertunt: *Quia cepit abire post præceptum*; sicque exponunt, *q. d. Ephraim volens et ultra secutus est præceptum Ieroboam de adorandis vitulis, quos proinde adoravit. In Hebræo enim jam legitur ut *tsan*, id est præceptum. Verum aliter legerunt præci, Septuaginta, Chaldaeus, S. Hieronymus et alii, nimirum יִצְוֶה et eliso *N* quiescenti, וְצִוֶּהוּ, id est sordes, stercorea, puta idola. Hec enim Septuaginta vocant *vana*.*

12. ET EGO QUASI TINEA EPHRAIM (*q. d. Sensim per Assyrios carpan, corrodam, consumam et perdam decem tribus*) ET QUASI PUTREDO (hebraice רַחַב *rachab*, id est teredo (et sic aliqui hic legendum censent enim R. David: teredo enim respondet tinea, que processit), vel caries (hæc enim est putredo ossium et lignorum, que ex corrodit et consumit) DOMUS JUDA, — *q. d. Decem tribus per Assyrios consumam citius, uti tinea pannum, utpote mollem, cito exedit; duas vero tribus tardius, uti caries lignum, utpote durum, tardius erodit* (1). Ita S. Hieronymus, Lyranus,

(1) Cum tinea vestes tacito morsa conficit atque exedat, caries lignum morsa tacito ac lento corrodit et perdat, lenta Dei iudicia hic describit interpretis plurimi autumat. Sic post Bochartum, Rosenmüller, Ackermann: Prædicit Deus, inquit, utrimque regni Israelitici et Iudæi consumptionem lentam et intestinam, paulatimque exedentem, donec tandem commutentur per locum malum seriem, quæ lenta veluti quadam tabe essent conficienda. Complementum hujus comminationis passim in historia sacra legitimus, si consideremus statum regni Israelitici a Ieroboamo I usque ad hujus eversionem: se ipsos enim plurimi reges insidiosis et hostilibus conjurationibus perdidit, donec tandem ab exterorum bellis sunt consumpti. Ita etiam lentis malis afflictum fuit regnum Judaicum, priusquam in captivitatem abducerentur Iudæi, ut e libris *Regum et Paralipomenon* videre est.

Attamen, juxta Maurer, que subjunguntur (cf. etiam *Psalm.* XXXIX, 12) ostendunt, tertium comparationis in *conditioe desperata* potius querendum esse, ut hoc dicit Jora: Quemadmodum certo perit quam tinea exedit

Vatablus. Porro Septuaginta, vertunt: *Ego quasi conturbatio Ephraim, et quasi stimulus domus Juda; Syrus: Ego ero quasi commotio Ephraim, et commotio domus Juda; Arabicus Antiochenus: Ego qui perturbavi Ephraim, et ego tanquam mordens domum Juda; Arabicus Alexandrinus: Et ego deturbabo Ephraim. Ita et hodie item videmus, instar tinea families, urbes et provincias sceleratas sensim sine sensu corrodere, depauperare et consumere. Idem tropologicè sentit fidelis, clericus, et religiosus in anima, dum peccat, aut in Dei obsequio suoque officio intepescit: nunc enim hanc gratiam, virtutem et fortitudinem, nunc illam, nunc aliam sibi auferri persentiscit.*

Nota: Apposito Deum comparat tinea et teredini, quia Israellem ejusque idololatriam vocavit sordes: tinea enim et teredo invadunt vestem aut lignum, non sanum et elimatum, sed vetustate, pulvere, aliisque sordibus oblitum, squalidum, et quasi emaciatum. Nam tinea ex pulvere, situ et putredine nasci docet experientia. Unde Plinius lib. XI, cap. XXXV: « Idem, ait, pulvis in lanis et veste tinea creat, præcipue si araneus una includatur; silit enim, et omnem humorem absorbens, ariditatem ampliat. » Et Horatius, lib. II *Serm.* satyr. III:

Cui stragula vesti,

Dætarum ac tineaum opale, putrescat in arca.

hinc homini sordido tinea minatur Martialis, lib. II:

Non metuas mortem, Nevole, sed tinea.

Quocirca tropologicè, tinea apte representat homines carni et voluptati deditos: hos enim ipsa voluptas quasi tinea consumit. Unde S. Gregorius explicans illud *Job* cap. IV, 19: « Qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumuntur velut a tinea, » sic ait: « Tinea quippe damnus facit, et sonitum non facit: ita iniquorum mentes, quia damna sua considerare negligunt, integritatem quasi nescientes perdunt. Amittunt namque a corde innocentiam, ab ore veritatem, a carne continentiam, et per accessum temporis ab ætate vitam. » Sed id non sentiunt, « dum toto desiderio carnis temporalibus implicantur. Quasi ergo a tinea consumuntur, quia sine sonitu culpe morsum tolerant, dum quanta detrimenta vile et innocentes patiuntur, ignorant. » stursum tinea, ait idem Gregorius, lib. XVIII *Moral.* XI, « sibi domum corumpendo ædificat, » ita gula et luxuria carnem in qua exoritur, corrumpit. Insuper tinea caritas et pannos sine ullo cuiusquam fructu, ac tantam seipsam consumit; item facit gula et luxuria

vestis, quod caries corrodit lignum, sic ego Ephraimitis et Judæis vulnera infligo, que sanari a nemine possunt, nisi a meipso. Cf. imprimis vers. 13, 14, et cap. VI, 1.

via. Exstat hæc de re elegans ænigma tinea:

Littera me parit, nec quid sit littera nori.

In libris vixi, nec sum studiosior inde.

Exegi Musas, nec adhuc tamen ipsa profeci.

Denique tinea clanculum rodens pannos, significat ocellum Dei iudicium, indeque occulta damna et strages, uti notat Pineda in locum *Job* citatum.

13. ET VIT EPHRAIM LANGUOREM SUUM. — Pata suum imperium infirmari, languescere, deficere, et ad occasum tendere.

ET JUDA VINCLUM SUUM (Hebraice מַזוֹר *mazor*, id est colligationem suam, hoc est plagam suam pannis obvolutam et obligatam. Significat plagam et cladem quam accepit Juda a Rasin rege Syria, et a Phæce rege Israel, qui multos Judæos abduxerunt, IV *Regum*, cap. XV, 38, et cap. XVI, 5 et 6; ita S. Hieronymus, qui secundo addit, per vinculum hoc posse accipi colligationem et consociationem, qua Juda Israeli in idololatria et scelere fuit colligatus; aut potius consociationem et conjunctionem, qua Rasin et Phæce contra Achaz et Judam conjurarunt. Porro) EPHRAIM (ut hanc plagam suam sanaret) ABIT AD ASSUR, — quasi ad medicum et chirurgum, hoc est, misit legatos ad regem Assyriorum, petens ab eo opem et protectionem. Id fecit Manahem rex Israel, mittens ad Phul regem Assur mille talenta argenti, ad hoc ut suum regnum confirmaret et protegeret, IV *Reg.* cap. XV, 19. Ita S. Hieronymus, Haymo et Hugo. Rursum id fecit Hosee ultimus rex Israel, qui se quasi vasallum subdidit Salmanasar, pendens ei annuum tributum, ut sub ejus alis tuto et quiete viveret et regnaret, IV *Regum*, cap. XVII, 3. Ita Theophylactus et Arias.

ET MISIT AD REGEM ULTOREM. — « Misit, » scilicet Judas, ut solveret vinculum suum, de quo paulo ante dixit. Alterne enim Propheta hic loquitur de Israel et de Juda, ut patet ex antecedentibus et sequentibus. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Haymo, Dionysius, Arias, Ribera et a. i., qui sic exponunt: Judas, inquit, id est Achaz rex Judæ, pressus et quasi obsessus a Rasin rege Syria et Phæce rege Israel, misit legatos et munera opis petende causa ad Teglatphalasar regem Assur, IV *Regum*, cap. XVI, 7. Hunc ergo vocat Propheta « regem ultorem; » Aquila et Theodotus, *iudicem*; Symmachus, *ὀργιστήρα*, id est *defensorem* (vindicare enim, vel ulcisci, apud veteres significabat *defendere*, et ita subinde capitur in Scriptura, ut dicit *Roman.* cap. XII, 19), quia erat monarcha potentissimus, ita ut ad eum quasi tutorem et vindicem omnes principes et reguli confugerent. Hebraice est *ירב* *ireb*, id est qui ulciscitur, id est ultor; Chaldaeus, *ut adventaret ultum eos*; Septuaginta, Syrus, Arabicus, Vatablus, Pagninus, Arias et Clarus relinunt Hebraicum *ireb*; sed falluntur in eo quod putent illud nomen esse

urbis Assyria in qua rex regnavit. Sic Geseon a *ireb* dictus est *Ierobaal*, id est ultor vel vindex Baal, eo quod destructo ab eo aitari Baal, deus pater ut eum contra vim vicinorum tentaret, dixerit: « Ulciscatur se de eo Baal, qui suffodit aram ejus, » *Judic.* cap. VI, 31. Videtur ergo aludere ad Geseon, æque ab eo aitari Baal; uterque enim fuit *ireb*, id est ultor, iudex et vindex Israelis; ille contra Madianitas, hic contra Ieroboam; ab eo enim oppressus Israel, misit ad Ieroboam, postulans eum libertatis suæ vindicem et principem, III *Regum*, cap. XII, 20.

Minus recte Chaldaeus, Theodoretus et Lyranus per *regem ultorem* accipiunt Saa regem Ægypti, ad quem confugit Hosee rex Israel, pressus a Salmanasar, indeque ab eodem cum toto regno captus et eversus est, IV *Reg.* cap. XVII, 4; hæc enim pertinent ad Juda, non ad Israel, ut dixi. Adde, Saa impotens erat, non potuit Israelitibus tutari. Unde non recte vocatur *ireb*, id est iudex et vindex.

Mystice aliqui, ait S. Hieronymus, per regem *ireb*, id est ultorem, accipiunt Christum, qui peccatores salvare non poterit in die iudicii, sicut scriptum est: « In inferno quis confitebitur tibi? » Allegorice, Theophylactus et Leo Castrius per *regem ultorem* accipiunt Romanos, quorum opem invocavit Hyrcanus pontifex et Judæi, sed ab eis per Titum excisi sunt; aut certe Julianum Apostatam, qui Christianis infensissimus, in eorum odium se fecit Iudeorum vindicem, eisque templum restaurare aggressus est; sed frustra: Deus enim, immisso in fabricam igne, opus consumpsit. Ita Socrates, lib. III, cap. XX.

14. QUONIAM EGO QUASI LEENA EPHRAIM. — *q. d.* Rex ultor non poterit vos ab hoste liberare, imo ego Deus sum, qui hostes immitto et roboro, quia ego sum vester hostis, qui quasi leena invado Ephraim. Aperte Dei vindicta comparatur leonæ: quia hæc fortissima est et ferocissima, præsertim cum peperit aliquo catulos; ad quos, omnibus invidis et frustra obstantibus, prædam quam cepit et discepsit, domum asportat. Docent physici, et ex eis Gesnerus in *Leone*, leonem tam esse ferum, ut ad retundendam ejus feritatem indila ei sit a natura febris quartana, qua jugiter laborat, quamque absentia superat. Hæc enim ei est medicina, cui horologium est laues et venter. Hebraice שֶׁחַל *shechal* significat bestiam quamvis trucem et efferaam, qualis est leo; Septuaginta vertunt, *pardalim*, que velocissima est et sevisima. Ita S. Hieronymus, qui addit: « Ut quidquid sevirum in bestiis est, hoc in Dei indignatione cognoscas. Nihil panthere velocius, nihil leone fortius, in panthere velox per Assyrios regni Samaritæ significatur meritas, et in leone fortissimum contra Jerusalem et Judam aliquanto post tempore ostenditur regnum Chaldaeorum, etc., ut fiat (deus) quasi panther, ver-

tatur in leonem, muletur in bestias. » unde subdit : « Ego, ego capiam et vadam; tollam, et non est qui eruat. »

Nota : Sicut vers. 12, Deum quasi tineam opposuit sordibus Israelis, ita hic apposite Deum quasi leonem opposuit regi ultori, ad quem recurrebat Israel; hoc enim fortior est leona; sic et Deus fortior erat Tiglathphalasar. Symbolice, Deus in hac vita peccatores castigat leniter ut linea, at in die iudicii et in gehenna sciviet et lacerabit eos quasi leona. Tunc horrendo sonitu in eos rugiet : « Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus, » *Matth. xv.*

ET QUASI CATULUS LEONIS DOMI JUDA. — Hi enim catuli solent esse audaciores, utpote ignari periculorum et insidiarum : ac ferociore, utpote avidiores sanguinis, quem recens degustarunt, præsertim quia fervet et bullit in juventute sanguis. Quocirca Judas, aggrediens hostes, comparatur catulo leonis; quiescens vero, leoni, *Gen. cap. xlix, vers. 9* : « Catulus leonis Juda. Ad prædam, fili mi, ascendisti : requiescens accubuisti ut leo. » Justi quoque confidentia comparatur catulo leonis, *Prov. cap. xxviii, i* : « Fugit impius nemine persequente : justus autem quasi leo (hebraice כפיר *kephir*, id est leonculus) confidens absque terrore erit. » Leonculus enim animosus est et savus, quia jugiter et latrat stomachus; ac fame, æque ac specie et forma, orisque rictu et rugitu, videtur esse quasi latrator Anubis, præsertim cum grandescit, fitque leo.

15. VADENS REVERTAR AD LOCUM MEUM. — Uti solent leonee, lanata fera raptaque præda, in speluncam reverti, eamque ibi cum catulis devorare: ita ego per Assyrios et Chaldaeos tam Israelitas quam Judæos prædabor, eosque in captivitatem abducam, ibique eos servitute, tributis et oneribus consumam et quasi devorabo. Ita Haymo, Arias et Vatablus. Chaldeus veritè : *Auferam majestatem meam, et in locum sanctitatis meae revertar, qui est in caelis, donec norint se peccasse, g. d.* Deseram Judæos cum templo, et

quasi oblitus eorum tradens eos hostibus, abibo in cælum; hic enim est locus soli et glorie Dei, ex quo eminus spectat reorum carceres et supplicia. Ita S. Cyrillus, Hieronymus, Theodoretus et alii. Vatablus hæc refert ad cap. sequens, hieque inchoat cap. vi; cum eo enim coherens, eoque spectant, uti mox patebit.

DONEC DEFICIATIS. — Hebraice כעצבתי *ad iesem*, id est donec peccatum suum et culpam agnoscant. Ita Chaldeus, Vatablus, Clarius, Arias et alii; אשמ *ascam* enim peccare et peccatum significat. Verum *ascam* subinde ponitur pro שמא *scamam*, id est desolavit; ordines enim verborum imperfectorum sepe apud Hebræos inter se commutantur, v. g. defectiva פֶּאֶלֶף *Pe aleph*, quale est *ascam*, commutantur cum duplicanti-bus secundam, quale est *scamam*. Unde Septuaginta vertunt, *donec disperant*; Noster, *donec deficiatis*. Hic sensus priori subservit, eumque antecedit. Judæi enim per cladem et exiduum excitati peccata sua agnoverunt, et penitentes ad Deum redierunt, uti patet ex libro Baruch. Huc enim tendunt plage omnes a Deo in urbes, gentes, familias et homines immissis, ut scilicet eis sternat eorum superbia, utque cor concupiscentis obstructum et obduratum aperiat, cruciet et sauciet, quo afflictis sua scelera Deumque vindicem agnoscant, ad eumque penitentes revertant; cum videant non esse alium qui plagas hæc depellere, malisque tantis succurrere possit, juxta illud *Psal. xv* : « Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt. » Dum ergo flagellaris a Deo, non ad Assyrios, id est non ad principes et potentes, qui te a manibus Dei eripere non possunt, sed ad Deum ipsum cum Davide et Ninivitis recurre, ac supplex dicito : « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. » Ita mulcebis iram Dei, ac flagellum ex manibus irati extorquebis, pristinumque ejus favorem, gratiam et opem tibi conciliabis et restitues.

## CAPUT SEXTUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Promittit afflictis Christum redemptorem, qui eos vivificabit tertia die, quique orietur quasi diluculum et quasi imber temporaneus et serotinus. Inde, vers. 4, reddit ad sua tempora, et accusat duritiam Ephraim, quod cum per Prophetas dolare voluerit, sed ipse omnes dolabras respuerit : item in misericordiam, cum Deus misericordiam velit, non sacrificium. Denique, vers. 8, invehitur in Galaaditas, qui cultores Dei nunta in Jerusalem in via occidebant (1).*

4. In tribulatione sua mane consurgens ad me : venite, et revertamur ad Dominum,

(1) Dolentes jam inducuntur Israelite ut ad meliorem frugem revertantur sese invicem cohortantes.

Primo igitur, docet, quodnam consilium captivi sint Israelite tribulationum stimulis componi, scilicet,

2. quia ipse cepit, et sanabit nos : percutiet, et curabit nos. 3. Vivificabit nos post duos dies : in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum : quasi diluculum preparatus est egressus est, et veniet quasi imber nobis temporaneus, et serotinus terra. 4. Quid faciam tibi, Ephraim ? quid faciam tibi, Juda ? misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens. 5. Propter hoc dolavi in prophetis, occidi eos in verbis oris mei : et judicia tua quasi lux egredientur. 6. Quia misericordiam volui, et non sacrificium : et scientiam Dei, plusquam holocausta. 7. Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me. 8. Galaad civitas operantium idolum supplantata sanguine. 9. Et quasi fauces virorum latronum, particeps sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem : quia scelus operati sunt. 10. In domo Israel vidi horrendum : ibi fornicationes Ephraim ; contaminatus est Israel. 11. Sed et Juda pone messem tibi, cum converterto captivitatem populi mei.

4. IN TRIBULATIONE SUA CONSURGENS AD ME. — Hæc pertinent ad finem capituli quinti, unde eo hæc referunt Hebræi, Chaldeus et Pagninus, et caput sextum inchoant ab illis verbis : « Venite, et revertamur ad Dominum. » Vatablus vero caput sextum inchoat vers. ult. cap. v, uti ibi dixi. Sed eodem omnia reddunt, indicantque initium hujus capituli conexum esse cum fine cap. præcedentis, hoc modo et hoc sensu : Revertar ad locum meum, ait Dominus, donec tribulatione afflicti et deficientes Israelite culpam suam agnoscant, et quaerant faciem meam. Cum enim fuerint in tribulatione, mane consurgens ad me. Hinc patet tribulationem hic intelligi tum eam quam passusunt Israelite in captivitate Assyriaca, tum eam quam passi sunt Judæi in captivitate Babylonica. Ita S. Hieronymus, Theodoretus et Theophylactus; utramque enim utrisque comminatus est cap. præced. vers. 3, dicens : « Israel et Ephraim ruent in iniquitate sua, ruet etiam Judas cum eis; » et vers. 12 : « Ego quasi tineas Ephraim, et quasi pterredo domui Juda. » Unde ejus remedium quaerens tam Israel, quam Juda, « abijt ad regem ultorem, et ipse, inquit Propheta, non poterit sanare vos; » quocirca operi humanam ab iis desperantes, in tribulatione recurreritis ad me Deum vestrum, ut hic dicitur.

5. ALITER Arias, qui per tribulationem accipit captivitatem Judæorum, quam passi sunt a Tito et Romanis. Verum illius nulla cap. præced. facta est mentio : nec in illa Judæi conversi sunt sincore ad Dominum, nec Deus tertia die illos vivificavit; quin potius eos exidit et interfectione delevit.

MANE. — Id est cito, matutina, festina, potentes a me ut eos tribulatione liberem; puta mane hoc symbolicum fuit, cum transacta nocte captivitas, impletisque ejus septuaginta annis a Deo decretis, Judæi, excitante eos in spem Daniele, Esdra, Azgreo aliisque Prophetis, ad vicinam sub Cyro liberationem anhelantes, supplices a Deo cum postulaverunt et impetraverunt : mane enim et aurora Judæis captivis fuit spes vicina liberationis, mox expletis 70 annis præstanda per Cyrum.

Mystice S. Hieronymus : « Mane, » inquit, sit est eum ortum fuerit eis lumen penitentiae per faciem fidei. Allegorice Iyranus, « Mane, » ait, id est in predicatione Joannis Baptistæ, qui quasi lucifer et aurora prævit Christum solem justitiae, exhortans homines ad penitentiam, ut per eam illos ad Christi gratiam et justitiam prepararet.

Tertullianus, lib. IV *Contra Marcionem*, cap. xliii, hæc accipit de mulieribus piis, quæ afflictæ ab ortem Christi, venerunt mane ad monumentum ut eum ungerent; unde meruerunt primæ videre eum resurgentem, qui mire esse consolatus est. Verum hic sensus est accommodatissimus.

VENITE (subaudi, dicentes, et se invicem adhortantes), ET REVERTAMUR AD DOMINUM, QUIA IPSE

CEPIT. — Hebraice שָׂרָף *taraph*, id est rapuit, vel abrupit nos, g. d. Non Salmanasar, non Nabuchodonosor, sed Deus vindex fuit, qui ob scelera nostra, per Salmanasar et Nabuchodonosor nos vinctos abrupit in Assyriam et Babylonem : unde ipse solus potest nos liberare, et plagam hanc sanare, uti se sanaturum promisit, ideoque brevi reipsa sanabit. Respiciat ad illud quod dixit cap. præced. vers. 14 : « Ego quasi leona Ephraim, ego capiam et vadam; tollam, et non est qui eruat; » et vers. 13 : « Ipse (rex ultor, puta Assyrius) non poterit sanare vos, nec solvere poterit a vobis

10. IN DOMO ISRAEL VIDI HORRORENDUM : IBI FORNICATIONES EPHRAIM; CONTAMINATUS EST ISRAEL. 11. SED ET JUDA PONE MESSEM TIBI, CUM CONVERTERO CAPTIVITATEM POPULI MEI.